



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Jesu Sac. Theol. Professoris.
Theologia Universa**

Archdekin, Richard

Dilingae, 1687

Cap. I. De Existentia Dei, Attributis, Visione, Lumine gloriæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38477

THEOLOGICÆ
SPECULATIVÆ
PARS PRIMA,
DE DEO UNO, ET TRINO, ET ANGELIS.

CAPUT I.

De Existentia Dei, Attributis, Visione, Lumine gloria, & Scientia,

§. I.

Demonstratio Dei, ejusque Unitas, & Attributa.

OMnia que pertinent ad demonstrandam Dei existentiam, ad credendi necessitatem, & fundamenta, ad Attributa divina præcipua &c. tradita sunt suo supra in Tomo I. Part. I. Tract. I. à pag. 1. Que in hac Theologia parte reliqua sunt, hic cum suis fundamentis breviter, ac dilucide suppeditantur.

Dei Unitas demonstratur. I. Quia Deus est ens summe bonum, sive, quo nullum melius esse potest: Atqui melius est præstare omnibus, quam parem admittere: Ergo admittit Deorum pluralitate hæc præstantia nulli Deo conveniet: Ergo qui supponit plures esse Deos, supponit pariter nullum esse.

II. Illustrius demonstratur Dei unitas hoc modo: Statuamus duos esse Deos, competet utriusque supremus rerum principatus, erit uterque in agendo perfectè liber, erit uterque omnipotens, hæc enim divinæ perfectioni necessariò conveniunt: Atqui supposita pluralitate Deorum, neuter erit perfectè liber, aut omnipotens: quia unus non posset independentem ab altero efficaciter velle esse illud, quod alter pro eodem instanti efficaciter velle non esse: Alioquin posset v. g. mundus uno volente existeret, & altero nolente simul non existeret, quod apertè repugnat.

Ergo & illa repugnat plurium Deorum *Theomachia*, sive voluntatum discordia, unde illa contradicção consequitur.

Hinc obiter fit morale documentum; quàm necessaria sit & nobis unitas & concordia ut simus *Deiformes*.

Dices I. posse subesse causam cur illi plures Diimant esse profus per omnia concordēs. Respondeo, per hoc nullum dari effugio locum: vel enim nasceretur illa voluntatum concordia ex pacto libero, vel ex necessitate naturæ: si primum; poterat uterque in contractum illum non consentire, aliàs, contra hypothefim, liber non foret: si ex necessitate naturæ, multò evidentius patet divinam libertatem exterminari.

Dices II. In Deo reperitur pluralitas personarum: ergo etiam divinæ naturæ multiplicitas. Respondeo, negando consequentiam: Quia et si pluralitas personarum realiter ab invicem distinctarum admitti debeat in perfectionibus *Relativis*, quales sunt tres Personæ, in quibus necessariò invenitur oppositio producentis ad productum, participantem eandem cum producente voluntatem & naturam, ratione cujus tam

producens quam productus debet esse ens à se: dispar tamen ratio est in perfectionibus *Absolutis*, quales essent plures Naturæ divinæ, cum inter illas esse nequeat istiusmodi oppositio, quæ distinctionem realem fundare possit. Adde, quod argumentum illud à pluralitate personarum, æquè probaret posse dari plura individua Deitatis quorum unum esset productum, & alterum inproductum; hoc ipso illud productum non esset Deus, quia non esset ens à se, sed ab alio producente.

Hæc demonstratio apertè convincit erroris plurimos etiam Philosophos naturales qui Polytheismum admiserunt, & militat contra *Occamum, Bassolum, aliosque*, qui contra communem sententiam docuerunt Dei unitatem non posse demonstrari.

ATTRIBUTA divina, sunt perfectiones quæ non sunt de primo conceptu Dei, sed quasi illius proprietates. Talia attributa sunt, Immensitas, Simplicitas, Infinitudo, Æternitas, Immutabilitas, Potentia, Sapientia, Providentia falli nefcisa &c.

Immensitas Dei, est diffusio sive expansio intus Dei præsentia ad omnia spatia possibilia, ac imprimis ad omnem creaturam actu existentem: quod intelligendum est non tantum secundum operationem à Deo, ipsi inditam & communicatam (ut perperam restituit *Vorsinus* in Hollandia hereticus) sed etiam secundum ipsam Dei substantiam cuius creaturæ, etiam, minime, ubique inexistente. Quod probatur ex illo *Jeremia* cap. 3. *Numquid non cælum & terram eo ego impleo, dicit Dominus.* Idemque ratio demonstrat. Cum enim Deus sic perfectionis infinitæ adeoque illi unitatæ, non potest in extensione ad locum quemlibet limites recipere.

Neque dicas, posse de loco in locum omnem successivè se extendere. Hoc enim esset Deum vagum & mutabilem constituere.

Quæritur, An divina ubicatio, sive præsentia, potrigatur extra hunc mundum, & cælos, & *universam* rerum conditarum compagem? Hoc salvà fide *Vasquez* & varii negant, quia videtur dedecere Deum esse in spatio imaginario, nihilo &c.

Sed nos cum *Snare, Lessio* & pluribus, ut multò probabilius affirmamus, & asserimus Deum visua immensitatis etiam extra cælos in infinitum protendi, quamvis non per ubicationem extrinsecam ad aliquem locum, cum ibi nullus actu sit locus, sed per ubicationem sibi merè intrinsecam. Probari id fati videtur ex *Scripturis Jobi II.* Excelsior cælo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? Et 3. *Reg. cap. 8.* Si cælum, & cæli cælorum te capere non possunt &c. Subscribunt perspicuè Patres illi qui cum *S. Athanasio, & S. Augustino*, ajunt Deum esse ubique, & extra omnia, & ut loquitur *Damasceus* defini-

de fide C. 16. Deum esse totum in omnibus, & totum super omnia.

Idem ratione confirmatur: Si Deus extra hunc, alium mundum conderet, deberet certè illi novo mundo præsens esse, idque ita per novam sui mutationem, sive translationem ad spatium in quo antea non fuit, quod divinæ immutabilitati repugnat.

Neque cum *Cyrtoso* admittimus, extra hoc universum spatia realia indefinitè extensa, in quo ille idæis suis non sit claris nimium confidit. *Reflecte*, hæc in omnibus etiam minimis divina ubiquitas, quanto debeat esse piis ac probis solatio, improbis terrori.

Eternitas Dei, est duratio carens principio, fine, & omni successione. Sive ut *Boetius l. 5. de consol. Phil. prosa 6.* Interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Hanc Deo attribuit passim Scriptura, ut *Psalmo 101.* Tu autem in æternum permanes &c. Consonat cum aliis PP. *S. Augustin. lib. 2. Confess. Cap. 11.* Præcedis, Domine, omnia tempora præterita celsitudine semper præsentis æternitatis, & futura &c. Ratio etiam demonstrat. Quia cum admittatur in Deo potentia entia producendi omni tempore possibili, ita & existendi duratio interminabilis, cum producere non possit nisi existens. De aliis Dei Attributis infra in fine hujus §. indicabitur.

De *Distinctione Attributorum* divinorum dicendum. Attributa divina non distingui ab essentia, aut inter se physice, aut modaliter: neque distinctione illa formali ex natura rei, quam Scotisticam aliqui vocant: Sufficit inter illa Attributa sola distinctio rationis ratiocinata.

Prima Pars assertionis, de fide colligitur esse ex Concilio Lateranensi Cap. *Firmiter* de summa Trinitate, ubi definitur quod in Deo sint tres quidem personæ, sed una essentia, substantia, seu natura simplex omnino. Atqui non subsisteret illa simplicitas si Attributa illa distinguerentur ab essentia, aut inter se physice, aut modaliter, quæ important rem unam ab altera diversam.

Secunda Pars satis deducitur ex Concilio Rhemenfi contra *Gilbertum* definiente, quod in Deo non sit ratio aliqua quæ inter naturam & personam dividat. Unde à fortiori sequitur, idem dicendum esse de Attributis.

Ex his Pars tertia sequitur, Sufficere scilicet solam distinctionem rationis ratiocinata; quæ consistit in diversis conceptibus rem eandem simplicem diverso modo representantibus cum fundamento in re, scilicet ob perfectiones summas ac varias divinæ naturæ quantumvis simplicissimæ competentes. Ita communis Theologi. Quia major distinctio non requiritur, nec in ente simplicissimo admitti potest: & per illam diversas Attributorum divinorum facillè explicatur.

Fundatur hæc distinctio, primò in eminentissima perfectione divinæ entitatis realiter simplicis, sed virtualiter multiplicis. 2. In limitatione nostri intellectus non valentis uno actu adæquate representare totam divinæ essentia perfectionem. 3. In medio quo divina cognoscimus, scilicet, per analogiam sive similitudinem ad perfectiones variarum creaturarum, à quibus species haurimus quibus ad divinas perfectiones sive Attributa representanda connititur.

Dices, Per illam distinctionem Rationis nequeunt salvari contradictoria quæ de diversis Attributis affirmantur & negantur, ut in his aliisque Propositioni-

bus: *Justitia Dei* punit, *Misericordia Dei* non punit, Ergo debet admitti alia, saltem ex natura rei, in Deo ante conceptum.

Resp. neg. ant. Sufficit enim ad illa salvanda diversitas conceptuum, quibus res in se indivisibiliter eadem, diversimodè, sive cum diversis connotatis representatur: atque ita in prædictis, *punit, & non punit*, prædicantur quidem de eodem, sed non de eodem adæquate: quia *Justitia* formaliter qua talis, est entitas Dei ut representata conceptu *justitiæ*, præscindendo à *misericordia*: & ut connotat actus puniendi quos *justitia*, sive, Deus ut *justus* causat. *Misericordia* verò, est eadem Dei entitas ut representata conceptu *misericordiæ*, præscindendo à *justitia*, & ut connotans actus miserendi: ac proinde ratione istius conceptus, & connotati quod importat, dicitur *justitia* punire, non autem *misericordia*, quæ alium conceptum, & ordinem ad alios actus miserendi tamquam ad sua connotata involvit. Quo modo in hoc genere & alia in speciem contradictoria salvantur, plura exponuntur infra de *Trinitate*, & de *Communicatione idiomatum* infra in materia de *Incarnatione*.

Quomodo autem ex Ente à se proficiant alia Dei Attributa, uti *Summa* & *illimitata perfectio*, *Sapientia*, *Omnipotentia*, *Bonitas*, & inde *Veracitas in revelandis mysteriis fidei*. traditur in hujus Operis Tomo I. Cap. I. art. 3. pag. 15.

Errores varii Calvinistarum in Hollandia &c. circa varia Dei Attributa, refutantur supra Part. III. pag. 88.

§. II.

De Visione Dei, ejusque principio, & objecto.

De fide est, *Visionem Dei* claram communicabilem esse, & de facto communicari intellectui creato Angelico, & Humano. Est contra *Armenos*, & quosdam *Græcos* docentes Deum non videri immediatè in se, sed in quadam similitudine, sive luce, quam vocant, *Theophaniam*. Quod damnat Concilium *Viennense*, & *Florentinum Sess. ultima*, desinens, animas discedentes in gratia, & plenè purgatas intueri ipsum Deum unum & trinum sicut in se est.

Opponunt igitur male, non esse proportionem inter Deum, & intellectum creatum. Quod ut verum sit in ratione entis increati, est tamen proportio in ratione potentia cognitiva, & objecti cognoscibilis: cum constet intellectum nostrum habere vim naturalem ad cognitionem Dei abstractivam, & per Deum elevabilem ad intuitivam illius cognitionem, quamvis ea sit supra vires naturæ per se sumptæ.

Videri non potest Deus, per similitudinem objectivam, sive, per medium quod prius cognitum ducat in cognitionem Dei.

Ita *D. Thomas hic q. 12. art. 2.* Quia tale medium non potest representare objectum ut in se est secundum perfectionem quam de eo representat: uti patet in imagine *Cæsaris*, ipsius quantitatem, colorem, & figuram representante, ut in *Cæsare* existunt: nulla autem similitudo potest continere Dei essentiam & perfectionem prout in se existit.

De facto videtur Deus per similitudinem formalem, id est, per speciem *Expressam*, quæ est qualitas, sive conceptus vitalis suum objectum formaliter representans, & dici solet, *Verbum mentis*.

Ita

rsde
kin

theo
logia

D IV
28

Ita Suarez, Vasquez, cum D. Bonaventura, Durando, Richardo, Pezantio &c. Contra Cajetanum, Bannez, Sylvium, & P. Amicum, ac plerosque Thomistas, qui docent operationem mentis, in qua consistit visio, non habere terminum à se productum, qui sit verbum mentis, sed *immediatè* sine illo ad divinam essentiam terminari.

Sed his contrarium patet ex S. Augustino lib. 14. de Trinitate Cap. 17. *In hac quippe imagine (scilicet anima) tunc perfecta erit Dei similitudo, quando perfecta erit visio.* Et ex S. Damasceno lib. 1. de Fide Cap. 18. Et S. Anselmo in Monologio Cap. 31. Ac denique ex S. Thomae hic Quæst. 27. art. 1. *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit procedit aliquid intra ipsum, quod est conceptio rei intellectæ, & dicitur verbum cordis significatum verbo oris.*

Hinc apud Fasolum fatetur Capreolus, Ferrariensis, & Sorus Thomista, hanc sententiam nostram etiam in Doctrina D. Thomæ posse sustineri.

Dices, sequitur inde, Beatos non videre Deum *immediatè*, sed mediante illa specie expressa, sive similitudine Dei formali consistente in conceptu Dei ab intellectu in se expresso.

Resp. neg. sequelam: Quia species illa expressa non est medium in quo Deus ab intellectu videtur, sed tantum ratio formalis quæ videtur: ac proinde inter intellectum videntem, & Deum visum nihil omnino mediat quod per modum objecti prius cogniti ad Dei cognitionem perducatur, neque debet intellectus suam de Deo cognitionem reflexè cognoscere.

Neque contra hanc assertionem nostram vim habet argumentum ab actu intelligendi in divinis, ad actum intelligendi in creatis: Disparitas enim magna est, quod intelligere in creatis sit aliquid accidentale distinctum ab intelligente, sive, quod possit ab illo abesse, non ita in intellectu divina, cui nulla de novo potest perfectio accedere.

Posset absolute Deus videri per speciem impressam, id est, per qualitatem quæ sit repræsentativa Dei in actu primo, & virtus vicaria objecti, illa quidem non indigentis, sed ad sui visionem exhibendam eâ liberè utentis. Ita docet Suarez, Valentia, Ariaga, Vekenus, Contra nostrum Tannerum, Granadum, Amicum, Recupitum, cum Cajetano, Bannez, aliisque Thomistis.

Et probatur: Quia talis species nullam arguit in Deo imperfectionem, sed potius amplitudinem perfectionis.

Quod nempe causa libera per aliquid sui vicarium possit efficere, quod æquè, vel etiam naturalius per se præstare possit. Sic Deus possit reddi extrinsecè Creativus, per aliquam creaturam ab eo elevabilem ad creandum.

Nec obstat quod opponunt talem speciem fore Deo similem, Responderetur enim, non fore Deo similem entitativè, sed solum repræsentativè, in quo non apparet repugnantia.

De facto tamen Deus à Beatis non videtur per talem speciem impressam. Ita Cajetanus, & Suarez cum communi, Contra Guil. Parisiensem & Egidium Lusitanum. Quia de facto nullo modo est necessaria ad Dei visionem, cum ab intellectu elevato possit per se videri: sicut in Angelo ad sui visionem talis species non requiritur.

Quod obicitur de Improportione intelligibilitatis intellectus creati, non urget, quia ea improportio tol-

litur per elevationem intellectus ad Dei visionem, lumine scil. gloriæ illustrat.

Visiorem Dei effici in beato per ipsam visionem divinam, quæ Deus se videt, intellectui creato unitam, aut communicatam (uti docet P. Bona Spei vir doctus ordinis Carmelitarum) repugnare videtur communi Doctorum sententiæ, & rationi actus vitalis, qui debet ab intrinsecò procedere. Alioqui possit ex eadem ratione Lapis videre Deum, visionem scil. divina ipsi communicata, quod sustineri nequit.

Oculo corporeo repugnat Deum videri. Id affirmat Suarez, esse fide proximum, & hodie omnium ferè Catholicorum sententiam: pro qua adducuntur ab eo alique Patrum sententiæ. Ratio faver. Quia visus non potest elevari ut tendat vitaliter ultra suum objectum, quod est lumen, & color: non magis quam gustus Deum gustare: nam non minus est vilis restrictus ad colorem, quam gustus ad saporem. Scripturæ quæ apparent contrariæ, agunt de visione Dei incarnati, nempe Christi, vel de experientia quasi intuitiva quam de divina providentia in creaturis spectamus.

In hac vita mortali nemo hætenus intuitivè vidit Deum; nec videre potest ex lege Dei ordinaria. Prima saltem pars est communis, contra varios Thomistas. Probatur præcipuè ex Scripturis Joannis 1. v. 18. *Deus nemo vidit unquam, unigenitus filius qui est in sinu Patris ipse enarravit.* Et ad Timotheum 6. *Quem nullus hominum vidit, nec videre potest.* Quod videtur etiam secundam assertionem partem satis probare, cum dicat Apostolus Deum in hac vita videri non posse.

Quæ verò opponuntur de S. Paulo. 2. ad Corinth. 12. *Raptus est ad Paradisum ubi audivit arcana verba.* Et de Moyse Exodi 33. *Ego ostendam omne bonum tibi.* Respondeo, tantum tibi significari, illos eximiam mysteriorum divinarum accepisse revelationem, quæ verbis humanis explicari non possit, non verò habuisse ipsam immediatam naturæ divinæ visionem. Aliàs quomodo expones allata ipsius Apostoli Pauli verba: quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest, quod tantum de statu præsentis vite intelligi potest.

Quæritur, An privilegium visionis divinæ in hac vita habuerit saltem Virgo Deipara? Resp. 1. id incertum esse. Resp. 2. Si visio talis ulli unquam puræ creaturæ concessa sit, non dubitandum Dei matri saltem aliquando communicatam: uti nos piè ratiocinari docet Doctor Angelicus 3. Part. Quæst. 27. art. 1. Rationabiliter, inquit, creditur ut illa quæ genuit unigenitum à Patre, præ omnibus aliis majora Privilegia acceperit gratiæ.

§. III.

De Lumine Gloriæ, & Visionis Dei supernaturalitate, inæqualitate, & visione creaturarum in Verbo divino.

Necessarium est Lumen gloriæ ad videndum Deum. Est de fide ex Concilio Viennensi, Scripturis, & Patribus. Ratio etiam est, improportio intellectus creati ad visionem tam perfectam entis increati per se eligendam.

Quoad entitatem Luminis gloriæ, multo probabilius est illud non esse aliquod auxilium transiens, sed habitualiter permanens & intellectui in hærens. Suet hoc ipsa conditio visionis beatificæ, quæ cum sit stabilis

stabilis ac perpetuo duratura; magis convenit stabile esse principium quod ad illius durationem ordinatur.

Intellectus etiam *immediate* cum lumine gloriæ attingit visionem Dei. Quia cum visio intellectualis sit actus vitalis, debet procedere à principio intrinseco & connaturali; uti actus fidei, spei, charitatis procedunt *immediate* à potentis habitu supernaturali elevatis. Ita Suarez, Vasquez, Molina, Contra Sorum, Bannez, & plures Thomistas.

Visio *divinae essentiae* non potest esse *connaturalis* ulli substantiæ creatæ. Est communissima cum D. Thoma, Scoto, Suarez, & recentioribus: opposita tamen sententia non est temeraria, nec caret aliqua probabilitate, & in eam inclinat Joann. Major, Ariaga hic Disp. 5. Sect. 7. Ripalda de ente supern. lib. 1. Disp. 3. Sect. 7.

Ratio est I. quod nulli creaturæ etiam possibili convenire possit modus essendi actus puri, Deo proprius; adeoque nec modus cognoscendi connaturaliter visus essentiae divinæ soli Deo proprius.

II. Quia ex S. Augustino aliisque Patribus repugnat creatura naturaliter impeccabilis, sancta, beata, qualis esset naturaliter videns Deum.

III. Quia visio Dei est simpliciter supernaturalis; ergo non potest ab ulla substantia creatæ connaturaliter elici.

Dices. Possit absolute dari aliquis intellectus creatus qui sua perfectione adæquaret simul perfectionem nostri intellectus, & luminis gloriæ. Ergo talis connaturaliter videret Deum.

Resp. neg. ant. scil. qui possit per solam suam essentiam illis æquivalere; sicut nequit dari creatura quæ æquivaleret effectui formali albedinis, per se constituens album: causa enim formalis suppleri non potest, aliàs posset esse creatura cognoscens per solam suam essentiam, quod admitti nequit.

Beati *inequaliter* vident Deum. Est de fide ex Scripturis, CC. & PP. Nec contrarium colligitur ex eo quod dicit Christus in parabola de operariis, recipientibus mercedem æqualem, sed solum vult, subinde fervorem charitatis compensare majorem diuturnitatem operis.

Intellectus *perfectior* cum æquali lumine non causat visionem Dei formaliter perfectiorem: Quia vis intellectus creati non proportionatur visioni Dei, nisi præcisè in quantum subest elevationi.

Alioqui contra Tridentinum, vis naturæ per se posset aliquid in ordine ad salutem, nempe aliquid incrementum Fidei, Spei &c. quod repugnare videtur Florentino de Purgat. defimenti, perfectionem visionis esse ex meritis. Ita cum D. Thoma Sorus, Suarez, Vasquez, Valentia, Contra Sorum cum suis, Durandum, Lessium, aliosque.

Dices, Potest oculus corporeus perfectior, cum æquali lumine, objectum suum perfectius representare, quam possit oculus imperfectior. Ergo etiam intellectus perfectior, cum æquali lumine gloriæ, poterit Deum perfectius intueri.

Resp. neg. conseq. Disparitas est, quod oculus perfectior habeat majorem virtutem proportionatam & ejusdem ordinis scil. naturalis cum visione producenda: secus est in intellectu perfectiori in ordine ad visionem divinam quæ est alterius ordinis, scilicet supernaturalis.

Visio Dei *Comprehensa* est, quæ adæquatur exten-

sivè & intensivè ejus intelligibilitati intrinsecæ, sic ut nihil ejus lateat videntem, inquit Augustinus cui consentit S. Thomas, cum aliis PP. Et patet exemplo comprehensionis corporalis: v. gr. quæ aliquid comprehenditur manu, sic ut nihil illius sit quod intra manum non contineatur.

Deus non potest *Comprehendi ab intellectu creato*, etiam de potentia absoluta. Est definitum à Concilio Lateranensi traditum à PP. Augustino, Beda, &c. Quia cognitio creaturæ non potest adæquari divinæ cognoscibilitati, nisi adæquetur divinæ cognitioni, quod repugnat.

Potest *videri Essentia sine personis* intuitivè cognitis, non tamen sine illis abstractivè cognitis, si representetur ut illas exigens. Nam & unio hypostatica de facto terminatur ad personalitatem Verbi, & non ad essentiam, ergo sic potest etiam Visio. Quod magis probatur ex admittâ in divinis, cum Thomistis & pluribus, distinctione virtuali.

Similiter *videri potest una persona*, aliâ non visâ etiam directè opposita, sed solum abstractivè cognitâ. Quod ex ratione jam assignata deduci potest.

Beati de facto vident Deum trinum, ejusque attributa factè dicta. Est de fide ex Concilio Florentino, & Script. Hoc enim est connaturale Visioni beatificæ claræ, quam beati de facto habent.

Non tamen vident omnia *Attributa* latè, ut sunt speciales habitudines divinæ omnipotentis aut scientiæ ad quævis possibilis in particulari. Cum Beatorum visio non sit comprehensiva, sed inadæquata, & aliquo modo præcisiva.

Beati vident in Verbo *Possibilia* secundum esse proprium. Est S. Thoma ex S. Dionysio, & S. Augustino, qui dicit creaturas cognosci in Verbo cognitione matutina, id est, Clarâ, & in se ipsi cognitione vespertina, id est, minus clara, contra Occamum, Vasq. &c.

Et ratio est, quia Dei *potentia* dicit habitudinem transcendentalem ad omnes creaturas possibles: adeoque divina *potentia* est essentialiter connexa cum possibilibus in particulari, & ideo est *medium* (uti idea & scientia Dei) in quo, ratione istius connexionis videntur, sicut videntur faciendâ in mente Artificis.

Deus potest *videri inadæquatè* absque ullis *creaturis*: de facto tamen non videtur sine illis. Beati enim vident *Attributa* cum creaturis connexa, eaque satis penetrant ad percipiendâ in iis quædam etiam merè possibilis in particulari.

Determinatio visionis ad representationem horum possibilium, potius quam aliorum, est vel à lumine gloriæ, vel ab essentia ut specie, vel à concursu Dei particulari.

Cognitio *omnium possibilium* in Deo esset *infinita* categorematicè, licet ipsa solum sint infinita syncategorematicè. Quia contineret *virtutem* eorum representativam totam simul & sine termino: ideoque creaturæ non potest competere, præsertim in sententia negante possibile esse infinitum actu, quæ est communior.

Creaturæ *ut existentes* non possunt videri *formaliter* in Verbo. Quia Verbum cum earum existentia nullam habet connexionem necessariam, uti nec decreta Dei libera extrinsecè completa, secundum id quod dicunt Deo intrinsecum. Nihil enim Deo intrinsecum potest esse necessariò connexum cum contingente, adeoque nec movere intellectum, etiam divinum,

vide
kin

theo
logia

D. IV

divinum, ad ejus cognitionem. Ita Occamus, Darandus, Recupitus, Fekenus, Contra Thomistas, & aliquos Scotistas, Snavem, Granadum &c.

Dices, S. Augustinus & S. Bernardus ajunt, *Angelos videre in Verbo facta per Verbum*: Ergo creatura ut existentes possunt &c.

Resp. intelligendos esse de visione in Verbo causaliter, juxta asseit. seq.

Creatura ut existentes videntur in verbo Causaliter. Hoc solum volunt Augustinus alique PP. Dei essentiam appellantes, speculum voluntarium, hoc est, Beatis representans, quæ vult sive existentia, sive possibilita.

Beati vident in verbo causaliter 1. *mysteria fidei*. 2. *res naturales*, ut cælum, elementa &c. 3. *omnia ad ipsos specialiter pertinentia*, ut preces ad eos factas. Horum enim notitia, est ipsis connaturaliter debita, tamquam complementum perfectæ beatitudinis.

Habetur autem hæc notitia partim per visionem, partim per scientiam infusam. Se extendit etiam ad aliqua futura contingentia, quorum respectu est intuitiva latè; non tamen ad diem *judicii*, Quia, teste Christo Matthæi 24. *De die illa nemo scit*. Dixi, intuitivitate, hoc est, prout in se futura sunt pro certa temporis differentia, non verò prout intuitivo dicit præsentem objecti coexistentiam.

Quæres insuper 1. An repugnet lumen gloriæ in intellectu ab aliqua creatura produci?

Resp. Repugnare, quia alioquin producens lumen illud virtute in sua essentia contineret, sicut causa effectum, essetque illo lumine supernaturali longè perfectior, quod admitti nequit.

Quæres ergo 2. An visio beatifica dici possit aut debeat esse infinita?

Resp. neg. quia repugnat creatura categorématique infinita, ex sententia communi: tantum igitur possit visio illa dici infinita quoad durationem.

Quæres 3. An Deus, etiam in creaturis, distinctè & clarè à Beatis videatur?

Resp. non posse sic videri, nisi quatenus Deus continet perfectionem istius creaturæ, sub hac enim tantummodo creatura Deum respicit, & essentialem cum illo habet connexionem.

Quæres 4. An naturalibus viribus ac meritis ad visionem saltem aliquam Dei perveniri possit?

Resp. neg. quia mediū naturalis ad finem illum supernaturalem nulla est proportio, quod contendeat hæresis Pelagii.

§. IV.

De Scientia Dei Varia, ejusque objecto, effectu, idea.

De varia in Deo Scientia, ac Præscientia futurorum: De scientia simplicis intelligentiæ, visionis, ac singulariter de scientia Media &c. traditur supra in Tomo I. Parte II. Controversia. 1. pag. 258. usque ad paginam 270. & de Prædeterminatione Physica, ibidem. Restant pauca hic annexenda.

Scientia Dei alia est *visionis*, alia *simplicis intelligentiæ*: hæc est rerum ut possibilium, illa ut existentium in quavis temporis differentia, præterita, præsentis, aut futura.

Scientia Dei *necessaria* est de objecto necessario, *libera* de contingenti, *præctica* est operabilium, *specu-*

lativa pure scibilem, sive, quæ possint sciri, *sistendo* in sola eorum contemplatione.

Cognoscit Deus creaturas ut existentes cognitione propriâ ad illas immediatè & formaliter terminatâ. Quia ut sic habent intelligibilitatem propriam, uti & esse proprium, secundum quod terminant Dei actionem & complacentiam.

Deus etiam cognoscit creaturas ut *possibiles* immediatè secundum esse proprium, quod habent, si producerentur. Quia & illa habent suam essentiam, & certitatem produci possibilem, adeoque à Deo cognoscibilem.

Deus cognoscit *possibilia* in se ipso, & in se ipsis: *existentia* verò solum in se ipsis cognoscit. Scientia illius circa illa non est formaliter, aut virtualiter *discursiva*, ex noto ignotum deducendo: Quia hoc aliquid involvit minoris perfectionis intellectivæ, quam litera in se ipsis, sine discursu, immediatè cognoscere.

Simplex intelligentia, est causa verum, non visio. Ita Authores Societatis contra plerosque Thomistas, volentes visionem sub ratione imperii esse causam rerum proximam. Sed contra illam doctrinam stant PP. August. Hier. Damasc. & Justinus, docentes præscientiam futurorum, non esse eorum causam, sed contra. Quia alioqui noceret libertati, esset enim aliquid antecedens necessariò connexum cum existentia futurorum.

Deus futura contingentia cognoscit infallibiliter *non in essentia, & idea*, est communis. Quia hæc nullam habent connexionem cum eorum futuritione, cum stante Dei essentia, & idea, possint illa nunquam existere. Illa autem infallibiliter cognoscit in *decreto concurrenti* in actu primo, suppositâ prævisione conditionata determinationis creaturæ ex hypothesi istius concursus. De hoc in Operis hujus Tomo I. loco supra citato de scient. media pag. 270.

Deus non videt futura contingentia, in suis causis, etiam supercomprehensis; utpote ad illa indifferenter, sic ut possit existere & cognosci causa sufficiens, sic ut nunquam existat effectus liber & possibilis.

Futura contingentia non videntur in reali coexistentia in æternitate. Cum enim non existant ab æterno, non possunt Deo ab æterno coexistere. Illa quidem coexistunt æternitati toti realiter, sed non toti virtualiter, adeoque ei non coexistunt omni tempore; sicut res quæ hic est præsens Dei immensitatibus, non est ei ubique præsens.

Intellectio Divina est *instar Oculi* semper aperti respectu omnium cognoscibilem, quorum est præscientia, scientia, & memoria, cognoscens per idem ex parte sua, sed per ordinem ad diversa tempora, præterita, præsentia, aut futura.

Præscientia absoluta Dei non nocet *libertati creaturæ*. Cum ex mente PP. sit naturâ posterior determinatione creaturæ, nec tam sit præscientia futurorum, quam scientia præsentium in qualibet temporis differentia. Hinc non est absolutè necessaria, sed indirectè ad libertatem creaturæ, quæ nunc potest facere, ut ab æterno non fuerit præscientia de suo actu libero: Sicut jam potest facere ut nullus eam videat agentem id quod nunc agere possit, si nempe illud non agat. Hinc erravit Cicero, dum Deo negavit futurorum præscientiam, ut scilicet homini fervaret libertatem.

Deus cognoscit determinatè veritatem aut falsitatem propositionis.

propositionum de futuro contingenti absoluto, ut Antichristum peccaturum: cum veritas illa perfectissimæ Dei intelligentiæ coexistat. Non tamen antecederet ad omne Dei Decretum præbendi suum concursum: cum pro eo signo earum propositionum objectum sit indifferens ut actu sit, vel non sit.

Deus certam habet Scientiam contingentium *conditionate futurorum*: non (ut olim voluerunt quidam Thomistæ) probabilem tantum, probabilitate scilicet tenente se ex parte solius objecti, non etiam ex parte actus Divini, cui repugnat alicujus incertitudinis imperfectio. Deus namque 2. Reg. 23. de Ceilitis, & Matth. 11. de Tyræ ejusmodi conditionata revelavit ut infallibiliter futura. Cum enim Deus essentialiter cognoscat omne cognoscibile, & istiusmodi conditionata habeat cognoscibilitatem objectivam, non potest juxta S. August. Deo negari eorum cognitio sine divinitatis injuria.

Hæc scientia non fundatur in *Dei decreto*, nec ullum præsupponit nisi conditionatum ex parte actus, quo causa supponitur in actu primo completa: ita cum Schola Societatis alii plura ducenti apud Henao in scientia media historicè propugnata. Nam Scientia conditionalium fundatur in *conditionata futurorum* existentia, & ejus infallibilitas in infinita perfectione intelligendi ipsi essentiali.

Dices, Nullum sic datur determinativum infallibilitatis illius Scientiæ.

Resp. Frustra hic queri determinativum infallibilitatis *extrinsecum*, cum ex suis intrinsicis eam habeat intellectio divina quæ essentialiter veritatis est conformis.

Scientia etiam *conditionata* in Deo non officit libertati creaturæ. Cum enim sit posterior ejus determinatione in statu conditionato, est in ejus potestate, ut fuerit, vel non fuerit. Uti deducimus loco supra citato de *Scientia Media*.

Scientia Dei est *invariabilis*: potuit tamen, ut est Visio, *plura* cognoscere intuitivè, quam de facto cognoscit. Si nempe Deus plura actu produceret quam produxit, aut produxerit: cum Visio tantum versetur circa res actu existentes in aliqua temporis differentia.

Dices, Quomodo ergo Deus est *immutabilis*, cum possit habere scientiam visionis, quam actu non habet, circa creaturas quæ actu nunquam existent, possint tamen nunc actu existere, & Deus circa illas nunc habere scientiam visionis, sive intuitivam, quæ de solis aliquando existentibus, non de merè possibilibus, habetur.

Resp. Deum esse *immutabilem*, hoc sensu, quod Deo nullum possit accedere prædicatum, aut perfectio, aut accidens *intrinsicum*: non autem quod non possit illi accedere aliqua Relatio *extrinseca*. Hæc autem scientia visionis ut talis constituitur per relationem extrinsecam creaturæ *ut coexistentis* cognitioni Dei, quam de illa habet: hæc autem relatio extrinseca nullam inducit veram mutationem. Sicut relatio unius albi ad aliud album mutari potest per secundi albi destructionem, sine ulla prioris mutatione intrinsicæ, sed sola definitione, vel accessione termini extrinseci.

Et notandum, per hanc distinctionem circa Deum, ejusque Attributa, multas difficultates dissolvi.

Datur in Deo idea, juxta quam operatur ad extra: R. P. Arsdok. Tom. II.

Omnia enim facit ex prævia cognitione, & intentione suum opus assimilandi alicui ex suis perfectionibus. Quod confirmat S. August. lib. 83. quæstionum quæst. 46. *Non enim extra se positum aliquid intuebatur, ne secundum id constitueret quod constituerebat, hoc enim opinari sacrilegum est.*

Idea divina *formalis*, est cognitio modi, quo res facienda est: *objectiva*, juxta Dionys. August. & alios PP. est ipsa Dei essentia, quatenus à creaturis est variè participabilis. Quia illa ut sic, est Deo ratio cognoscendi omnes creaturas ut à se producibiles. Cum enim Deus sit supremus Artifex, debet uti perfectissimo exemplari, adeoque sibi intrinseco.

Quæres, An Deus habeat tot cognitiones saltem virtualiter distinctas, quot sunt objecta possibilis?

Resp. 1. Ista prædicata, *res, quot*; tantum, quantum; æquale, inæquale, & similia, debere excludi, sive, locum non habere in ente potentiâ infinito: quia illa tantum toti quantitativo & actuali competunt.

Resp. 2. Cognitiones divinas non distingui strictè virtualiter, sed est entitativè una tantum in Deo cognitio, per quam attingit omne possibile distributive, sive, hoc, illud &c. nullum tamen ut totum, aut ultimum, quia in infinito nullam verè totum, aut ultimum dari potest, ut recepta docet Philosophia.

CAPUT II.

De voluntate DEI, ejusque libertate, decretis, providentia, prædestinatione, reprobatione.

§. I.

De volitionibus Dei necessariis, & liberis.

Deus amat se necessario, etiam quoad exercitium. Quia Deum, infinite amare suam infinitam bonitatem, est perfectio simpliciter, quæ Deo debet competere. Necessitatur verò ad hunc amorem, quia bonitas infinita perfectissimè cognita ad sui amorem infinite rapit, ideoque ab eo cessare non potest.

Iste Dei amor non solum habet rationem gaudii, sed etiam *Benevolentia* propriæ amoris, ut à simplici gaudio; aut complacentia distinguitur.

Alia à se distincta Deus non amat necessario secundum esse existentia: se ponendæ, in iis tamen ut possibilibus necessariam habet complacentiam: Utpote in objecto verè bono, & cum ipsius essentia conexo ratione producibilitatis.

Datur in Deo volitio libera. Est de fide, ex Scripturis & PP. contra *Porphyrum*, & quosdam veteres cum *Abailardo*, & *Wiclefo*. Et demonstratur Ratione 1. Quia Deus operatur ad extra modo perfectissimo qualis est in agendo libertas. 2. Quia est sibi sufficientissimus. 3. Quia libertas est perfectio simpliciter, cum ea sit melior carentia libertatis.

Dices 1. Omnis volitio Dei est æterna, ergo & consequenter necessaria.

Resp. neg. conf. Non enim omne æternum est id eo necessarium *absolutè*, sed tantum ex *suppositione*, & quoad solam existentiam.

Dices 2. Actus quo Deus vult creaturam est idem cum actu, in quo vult seipsum: atqui hic actus est necessarius: ergo & ille quo vult creaturam.

Resp. dist. ma. Est idem quoad intrinsecam, Consc. quoad

isdem
kin

theologia

D. IV

B